

Juxta S. Hieronymum (a): *Evangelica veritas non recipit juramentum, quum omnis sermo fidelis pro juramento sit.* Quid brevius sententia S. Chrysostomi (b)? *Si enim credis, quod verax sit homo, ne juramenti necessitatem adducas: si vero nosti, quod mentietur, ne pejerare cogas.* En & sententiam S. Augustini (c): *Perjurium præcipitium. Qui jurat, juxta est: qui non jurat, longe est.* Et infra: *Istam ergo consuetudinem quotidianam crebram sine causa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante, jurandi, avertite à vobis, amputate à linguis vestris, circumcidite ab ore vestro.* Monet S. Gregorius (d): *Sit ergo cautus unusquisque antequam juret, ut aut ne omnino juret, aut facturum se mala non juret. Cautos quippe nos esse Dominus insinuat, dicens: sit sermo vester: est, est; non, non.*

TIT. VII.

De Ministris Curie Ecclesiasticæ.

CAP. I.

De Assessore.

1 **D**um circa sæculum 12. cœperunt in tribunalibus ecclesiasticis causæ forensi stylo instrui, & secundum legum etiam civilium rigorem examinari, & decidi, una in his tribunalibus invaluerunt Officiarii, & ministri fori civilis, atque ad exemplum Officiatorum, & Ministrorum jurisdictionis civilis iisdem pene legibus instituti, atque ordinati sunt.

2 Notavit Carolus Loyseau (e), vice fundamenti in hac materia tenendum esse, quod officia fori ecclesiastici iisdem juribus, & regulis regnantur, quibus officia sæcularia. Unde tanquam axioma habetur, quod officia fori ecclesiastici idem jus, easdemque regulas cum foro sæculari observent, & teneant.

3 Unde, si quis noscere velit originem, & naturam Ministrorum Curie ecclesiasticæ, nec non eorum munus, & officium, regulasque, quas observare debent, eam notitiam sibi comparare ex jure civili debet, investigaturus, quæ sint,

(a) S. Hier. in Matth. cap. 5. (b) S. Chrys. hom. 15. ad Pop. Antioch.
(c) S. Aug. serm. 180. de divers. (d) S. Greg. lib. 5. in 1. Reg.
(e) Carol. Loys. tract. de offic. l. 5. cap. 6. num. 33.

sint, fuerintve hujusmodi Ministrorum apud civiles Magistratus partes, & leges.

4 Jure civili majoribus Magistratibus utpote vel viris militaribus, vel aliis negotiis distractis datum fuerat, Assessorem, veluti Consiliarium, ut in causarum forensium discussione, & decissione, utpote juris peritus, sibi operam præstaret, adoptare. Inquit Paulus: *Omne Officium Assessoris, quo juris studiosi partibus suis funguntur, in his ferre constat; in cognitionibus, in postulationibus, libellis, editis, Decretis, Epistolis.* Refert. L. 1. ff. de Offic. Assess.

5 Inter Magistratus majores recensentur Præfecti Prætorio, Præsides, Proconsules, Prætores, quibus jus fuerat adsciscendi sibi in consilium Assessorem, publico ei constituto salario. Hoc exemplo hodie Principes, & qui Provinciis præsumt, eligunt sibi Assessores, qui Consiliarii Principis dicuntur, quia Parlamenta, Consilia, & Consistoria Principum constituunt. Inferiores vero Magistratus suos habere solent Secretarios, & Grapharios, qui plerumque sunt jurisperiti, & in negotiis forensibus aliquatenus instructi, ut tanquam quidam Assessores in causis instruendis, agendis, definiendisque illis Judicibus ad obsequium, & subsidium sint.

6 His exemplis & Judices ecclesiastici, quibus vel jure ordinario, vel delegato judicandi facultas competeat, in causis tractandis, & terminandis Assessores sibi sociarunt, quia & causæ ecclesiasticæ modo forensi agi consueverant. Apparet ex Synodo Cantuariensi de ann. 1295. sæculo XIII. moris fuisse, quod in tribunalibus ecclesiasticis Advocati in Assessores assumerentur.

7 Ægre inaudit Bonifacius, quod passim hi Assessores in gravamen partium, quia expensis onerabantur, sine justa causa advocarentur. Rescripsit inde Pontifex: *Assessorem autem (ur quandoque faciunt aliqui fraudulenter) nisi eo indigeat, quod conscientie relinquatur ejusdem, sibi nequaquam adjungat. Alioquin de suo proprio providere teneatur eidem, si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario, proinde moderando ab eo, faciat à partibus communiter provideri.* Refert. c. 11. §. 5. de Rescr. in 6.

8 Vetat ergo Pontifex passim Assessorem vel in gravamen partium, vel in gratiam amici assumi, nisi Judex ei de proprio providere velit. Si autem justa causa sit, quia vel Judex tantum peritiam juris non habet, vel per ægritudinem corporis uberiori discussioni impar est, vel causa difusior

sior est, ut omnibus punctis excutiendis unus, idemque non sufficiat, Assessor merito advocatur, cui ab utraque parte communiter providendum est. Præcipit Leo X. (a) ut *Judices, & Conservatores à Sede Apostolica delegati, si in altero jurium Graduati non fuerint, Assessorem partibus non suspectum, ab ipsis partibus, vel earum altera requisiti assumere, & secundum ejus relationem judicare teneantur.*

9 Hodie fere ubique moribus receptum est, ut Advocati pro certis & difficilioribus causis à Judice consulti, aut in Assessores cooptati, salarium, quod in singulas horas de stylo Curiarum est taxatum, pro quantitate temporis, & laboris ferant.

Cap. 2.
De Advoc.

10 Postquam forensis processus in tribunalibus ecclesiasticis invaluit, Ministrorum jurisdictionis ecclesiasticæ, exemplo legum civilium, auctus est numerus, qui aliena desideria coram competente Judice exponerent. L. 1. ff. de Postul.

11 Hi Ministri dicuntur Advocati, ut litigantibus causæ suæ jura suggererent. Oportet enim Advocatos esse juris peritos, quia partes eos ideo in subsidium suæ causæ advocant, ut ipsi de bono jure suorum Clientum, quorum patronium suscepturi sunt, deliberent. At Cicero (b): *Soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, & ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, & agere adversam causam, ut illi agat suam, & quidquid de re sua cogitaverit, in medium proferat. Ita cum ille discessit, tres personas unus sustineo, summa animi æquitate, meam, adversarii, & Judicis.*

12 Quia Advocatorum proprium munus est, clienti jura suggerere, præcipit Innocentius III., ut *principales persone (id est, actor, & reus) non per Advocatos, sed per seipsos factum exponant; nisi forte adeo sint indiscretæ, ut earum defectus de Judicis licentia per alios suppleatur.* Refert. c. 14. de Judic.

13 Nostris moribus sat vulgare est, quod Advocati pro suis clientibus Judici & factum exponant. Hinc eorum officium est, à clientibus claram facti notitiam capere, qui, si vel vacillent, vel alias se satis exprimere nequeant, industria, & peritia Advocati tum interrogando, tum objiciendo aliqua sunt juvandi, ut vera facti species appareat. Sic statuta Curiarum ecclesiasticarum in Provincia Mechliniensi præcipiunt (c), ut *Advocati ante initium litis à partibus totius*

(a) Leo X. Bull. cap. 7. in Bull. Rom. (b) Cicer. lib. 2. de Orat.

(c) Stat. Mechl. tit. 3. art. 7.

tius causæ instructionem, quantum fieri potest, accipiant, ut alioqui proponenda apposite proponere: aut ad proposita apposite respondere possint; neque in singulos terminos ipsos litigantes advocare debeant.

14 Quum maxime igitur duabus dotibus præfulgere oportet Advocatos; utpote peritia juris, & integritate fidei, vetat jus Romanum quempiam in numerum & matriculam Advocatorum suscipi, antequam per statuta tempora legum eruditioni noscatur inhæsisse, ut de peritia juris justum testimonium tulerit. L. 1. §. 11. L. 3. §. 4. & L. 5. C. de Advocat. divers. Judic.

15 Moribus hodiernis eruditionis testimonium plerumque gradus Academici, quos rigorosum examen præcedere oportet, supplent. Ajunt statuta ecclesiastica Provinciæ Mechliniensi (a): *Ut nullus ad postulandum, & Advocati munus exercendum admittatur, nisi qui in probata Universitate Doctoratus, vel licentiæ lauream in utroque jure per rigorosum examen est assecutus.*

16 Integritas fidei latius patet, quia omnes sequiores affectus, & artes, qui, quæve in bonam causam directe, indirecteque peccant, ab Advocatis exulare oportet. Jurant hodie Advocati in ingressu officii, quod nullam causam, quam noverint injustam, suscepturi, susceptamque mox ac injuxtam perspexerint, spreto quovis periculo, aut lucro deserturi sint. Id jure civili in singulas causas spondere tenebantur Advocati. L. 14. §. 1. C. de Judic.

17 Corruptis sæculis apertius gliscere cœperant varii defectus Advocatorum: tum, quod in Academiis invalesceret indiscretior profusio per oblatam pecuniam gradum Academicorum; tum, quod in Curiiis superfluum numerum horum hominum reciperetur; tum, quod salarium pro singulis pagellis numeraretur; tum, quod Judicum conniventia, aut imperitia dilationes supra dilationes impetrarentur, litesque ex litibus plerumque succrescerent. Quid verius sententia Plinii (b): *Nos, inquiebat, qui in foro, variisque litibus agimus, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus.* Et Symmacus: *In forensi pulvere rara cognitio facundioris, & boni pectoris.*

18 Quid mirum, quod ob hæc pericula cœnsuerit Justinianus, officium Advocatorum esse à statu clericali alienissimum. *Absurdum etenim Clericis est, imo etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium.* Refert. L. 41. C. de Episc. & Cler.

Jux-

(a) Art. 1. (b) Plin. lib. 2. epist. ad Nepot.

19 Juxta Decretum Alexandri III.: Clerici in Subdiaconatu, & supra, & in Ordinibus quoque minoribus, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, coram sæculari Judice advocare in negotiis sæcularibus non præsumant, nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus personis forte, quæ proprias causas administrare non possunt. Spectat ergo Decretum majores Clericos simpliciter, & minores, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, ut coram sæculari Judice in negotiis sæcularibus non postulent, præterquam in causa propria, aut suæ Ecclesiæ, aut pauperum. c. 1. de Postul.

20 Hæ exceptiones verisimiliter invaluerunt, postquam Clerici plerumque legibus civilibus addiscendis potius, quam sacris Canonibus incubuerunt, ut sæcularium causas passim perorarent. Aliquando enim viguit consuetudo, quod Clerici more Advocatorum sæcularium pro impendendo patrocinio & munera exigerent, & pro impensis susciperent. c. 1. XI. q. 2. & ibi Gratian.

21 Tametsi novo jure Clericis reliquum sit, in foro ecclesiastico Advocatos agere, quia tamen & in his tribunalibus non minus, quam in Curiis sæcularibus stylus forensis resonat, plerumque & in judicio ecclesiastico sæculares Advocatos, missis Clericis, placuit assumere, & recentius admittere.

22 Invidia vacat, quod Clerus causam pauperum agat. Statuit S. Carolus in sua Diocesi; ut semper aliquis Clericorum constitueretur Advocatus pauperum. Quicumque ecclesiastici homines Mediolani commorantes Jurisperiti sunt eorum unus semper per vices — unoquoque trimestri in orbem officio Advocati pauperum signatur.

Cap. 3.
De Procur.
& Syadic.

23 Jure Romano plures, & grandes differentiæ inter Advocatos, & Procuratores forenses (de quibus solis hic agimus) supererant. Quippe Advocatorum officium, quod ad suggerenda, & exponenda jura pertinebat, honorificum, & publicum habebatur, interea Procuratorum officium, quod ad facta præstanda pertinebat, privatum censebatur, ut, & infamibus committi potuerit, quia litis contestatione Procurator litis dominus fiebat. Pr. Inst. de iis, per quos ager. possum.

24 Veteri jure Galliæ Actor per Procuratorem sine gratia (a), & rescripto regio agere haud licuit. Inde ex illo prisco usu Galliæ petiit ab Innocentio III. Universitas Parisien-

(a) Marculf. I. 1. form. cap. 21.

siensis, ut, quia tota tum pendeat ab auctoritate Pontificis, ad agendum, & defendendum de ejus permissione Procuratorem instituere sibi licere. Annuit Pontifex votis, monuitque de jure communi, utpote Romano, his precibus haud opus esse. c. 7. de Procur.

25 In Comitibus, quæ ann. 1483. Turingæ habebantur, vetus illud jus abrogare placuit per Decretum, quod statuit, ut omnes actores in materiis civilibus possint agere, & comparere per Procuratores, absque gratia Regis ad hoc impetranda.

26 In causa criminali, si agitur ad luendam poenam, nec ex parte actoris, & ex parte rei admittitur Procurator, nisi ad excusandam absentiam, aut contumaciam; quia poena spectat determinate personam delinquentis. c. 5. de Procur.

27 Jure novarum Decretalium & in foro ecclesiastico invaluerunt ad exemplum juris Romani Procuratores ad litem, diversis mandatis, mandatique clausulis amplioribus, restrictioribusque instructi. Declaravit Pontifex & laicum in causa ecclesiastica, & filium familias ad judicium Procuratorem dari posse, si sit viginti quinque annis major. c. 5. de Procur. in 6.

28 Nostris moribus sat vulgare, quod & officium procuratorium publicum sit, ut nullus vel in Curiis ecclesiasticis, vel civilibus Procurator admittatur, nisi ex numero eorum, qui super qualitate, & capacitate examinati, probatique fuerint. Juxta statuta ecclesiastica Provinciæ Mechliniensis (a) nullus Procuratoris officio fungi permittatur, nisi qui 25. ætatis annum excesserit, & per Officialem super literatura, industria, stylo, & practica examinatus, & idoneus repertus, in manibus ejusdem juramentum præstiterit.

29 Juramenti fere iidem articuli, qui ab Advocatis exiguntur, sunt. Juxta formulam statuti Mechliniensis spondet Procurator: Nec acceptabo officium Procuratoris in malis, & injustis causis scienter; & quam cito mihi constiterit de injuria causæ, in ea amplius non procurabo. Quantum ab his articulis aberrant, qui indiscretius vel omnes causas suscipiunt, vel superfluis, vel extravagantibus, dilationibus bonam causam Clientum emungunt?

30 Procurator suscipere alienam causam nequit, nisi mandato sit instructus, quod hodierno stylo plerumque in scriptis exhibere oportet. Si de mandato satis non liquet, aut causa personam conjunctam spectat, à Procuratore cautio de

Van-Espen T. II.

Vv

ra-

(a) Statut. Mechlin. tit. 8. art. 2.

rato exigitur, donec mandatum sufficiens intra terminum producere queat.

31 Mandatum diversis modis expirat. Hodie & post litem contestatam Procurator revocari potest, quia litis Dominus nunquam evadit. Declaravit Clemens V.: *Procuratorem à Prælato, Rectore, vel alio quolibet pro Ecclesia, vel beneficio suo constitutum per mortem constituentis revocari; etiam quoad negotia, & causas, in quibus per ipsum lis fuerit ante mortem hujusmodi contestata*: quia Rectoris Ecclesiæ, tanquam meri usufructuarii jus omne per mortem perimitur, ut nihil tum supersit, quò ejus mandatum porrigatur. *Clem. 4. de Procur.*

32 Procuratori similis est Defensor (a), sive actor causarum Universitatis, Collegii, Societatis, aliorumque talium Corporum, quæ à Principe, vel Senatu jus Collegii obtinuerunt, ut ad exemplum Reipublicæ habeant res communes, arcam communem, & Actorem. Hic Actor vocabulo græco Syndicus à causa, seu lite, quam nomine Universitatis agendo, defendendoque prosequitur, dicitur. *L. 18. §. 13. ff. de Muner.* Hodie in majoribus civitatibus vocatur & Pensionarius. Ex usu hodierno Syndici creari solent, non tantum, ut sint Actores Reipublicæ quoad lites, sed etiam ad cætera quælibet Universitatis, vel Oppidi, aut Parœciæ negotia.

33 Præcipit S. Gregorius, ut Monasterium in Syndicum sibi potius laicum, quam Monachum, constituto salario, deligeret. *Expedit enim parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei quietos existere; uti & utilitates cellæ per negligentiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.* Refert. *c. un. de Syndic.*

34 Reliquis novi juris argumentis compertum est, & Clericos nonnunquam Syndici officium obisse; utpote defectu laicorum. *c. 9. de Testib. & alibi.* Quippe vetat regula, Clericos, Monachosque causarum forensium Patronos fieri, nisi necessitas, utilitas, charitasque id genus officii, aliorum defectu, obtruserit. *c. 35. XVI. q. 1.*

35 Aliquando Procuratorum officium ab officio Syndici & in eo distinximus, quod illud gratuitum, nisi aliquod salarii fuisset promissum, esse oporteret. At hodie tam in Curii ecclesiasticis, quam sæcularibus salaria debentur Procuratoribus æque ac Syndicis. Ergo & ex hoc capite utrumque officium Clericis, Monachisque periculosum apparet.

Cap. 4.
De Graph.
& Syncell.

36 Receptis formulis forensibus in forum ecclesiasticum penetrarunt diversa nomina, & officia civilium Ministrorum

(a) De Syndic.

majorum, minorumque. In legibus civilibus in eo genere recensentur Assessores, Domestici, & Cancellarii, qui scribendis, expediendisque Judicum epistolis, actisque veluti Graphiarii, & Secretarii operam dabant. *L. 3. & passim C. de Assess. Domest. & Cancell.*

37 Novo jure audiebatur querela, quosdam Judices aliquando quædam falsa in præjudicium alterutrius partis asserere; & quoniam contra illam assertionem innocens litigator quandoque non poterat veram negativam probare (cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio) statuit Concilium Lateranense IV., *ut tam in ordinario judicio, quam extraordinario Judex semper adhibeat aut publicam, si haberi potest, personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa acta conscribant, — loca designando, tempora, & personas.* Refert. *c. 11. de Probat.*

38 Hæc persona publica, cujus operam Concilium Lateranense tam in judicio ordinario, quam extraordinario Judici commendat, alibi dicitur Notarius, qui hodie solet & Secretarius, Graphiariusque appellari. *c. 11. de Rescript. in 6.*

39 Hujus igitur est, omnes citationes monitionesque, inhibitiones, attestationes, commissiones, testamentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, & cætera, quæ occurrerint, competenti ordine, sub data illius diei, quo vel ad officii, vel ad partium instantiam, aut alias sub nomine Officialis decreta fuerint, conscribere, & subsignare. *c. 11. de Probat.*

40 En reliquum? Graphiarius in speciali registro abhinc omnia acta processuum, ac causarum diligenter, & veraciter propria manu conscribere, aut, si per alium faciat, cuique sententiæ subscribere tenetur. *Et omnia sic conscripta partibus tradantur, ita, quod originaria apud Scriptores remaneant; ut, si super processu Judicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari.* Ita & praxi observat, quod copix actorum partibus auctoritate Judicis tradantur, originalibus, vel publicis registris, in quæ acta sunt relata, in graphiaria remanentibus. *ibi.*

41 His actis, à Graphiario conscriptis, signatisve plena fides, quoad mera judicialia, seu illa, quæ sunt de actis, & ad judicii expeditionem pertinent, habetur, tamen si nulli præterea testes adhibeantur, nisi alicubi stylus invaluerit, ut, ad plenam fidem faciendam, præter Graphiarii, aut Secretarii manum signatura Judicis, aut sigillum publicum requiratur. In Gallia inde ab ann. 1691. Rex sibi arbitrium vindicavit creandi Notarios regios Apostolicos.

42 Habent & Episcopi suos passim Secretarios, qui sunt deputati ad conficienda instrumenta de actibus, qui ad officium Episcopi spectant, utpote de collationibus, institutionibus, resignationibus beneficiorum &c. Habent & capitula, Collegiaque Secretarios, qui negotia horum corporum consignant. Utrique, licet in illis negotiis Notarii, & personæ publicæ censeantur, nequaquam tamen vulgo, & simpliciter Notarii vocantur, quia extra dicta negotia nulla instrumenta in qualitate Notariorum conficere possunt.

43 Notariorum officium hodie honorificum censetur, qui eorum fidei tabulæ publicæ, Magistratumque pericula committuntur. Sic & ipsi justo salario fruuntur, quo eos & contentos oportet, ut haud quidquam ultra definitas metas exigant. c. 11. §. 6. de Rescr. in 6.

Cap. 5.
De Reliq.
minist. cur.
Eccl.

44 Supersunt in Curiis ecclesiasticis Advocati, Procuratores fisci, seu officii, qui, exemplo civilium Curiarum, causas publicas, & ad communem utilitatem spectantes suscipiunt, defendunt, & coram Judice ecclesiastico prosequuntur.

45 Inde Procurator officii dicitur Promotor (a), cujus est, per Diocesin invigilare abusibus: insolentibus, delictisque; ut de iis Episcopum informet, justumque remedium, contra delinquentes agendo, judicialiter expetat. Et formulam, quia Archiepiscopus Parisiensis Promotorem instituit: *Dantes tibi, ait, facultatem omnes, & singulas causas ad forum nostrum, & jurisdictionem nostram ecclesiasticam, & spiritualem spectantes agendi, promovendi, interessendi, & concludendi sententias, & jus super iis à Domino Officiali dictæ nostræ Curie ecclesiasticæ, & spiritualis fori, ipsasque debite executioni demandari instandi, Ecclesiasticos, & alios nobis subditos delinquentes, seu in crimine deprehensos, & in culpa, ac alios, quos convenerint, citari, evocari, corrigi, puniri, mulctari, sententiarum, condemnari, absolvi, prout æquitas, & juris ordo postulaverit, curandi & generaliter omnia alia, & singula faciendi, gerendi, & exercendi, quæ ad hujusmodi Promotoris munus, & officium de jure, usu, vel consuetudine spectant, & pertinent, & quæ circa præmissa necessaria, & opportuna fuerint.*

46 Ad instantiam Promotoris obtentis Decretis Judicis vacant Apparitores exequendis (b), qui ea, veluti Nuntii, denuntiant, quæ in judiciis agenda sunt, partibus, litigatores in jus vocant, & mandata, atque sententias Judicum perficiunt.

(a) De Promot. (b) De Apparit.

sciunt. His ob præstitum juramentum plena fides habetur in iis, quæ ratione officii ex mandato Judicis exequuntur, & facta executione referunt. *Gloss. ad c. 19. de Appel.*

47 Nonnunquam graves excitabantur querelæ contra excessus, & defectus Promotorum, aliorumque Ministrorum apud tribunalia ecclesiastica. In Concilio Noviomensi (a) ann. 1344. questus est Archiepiscopus Remensis Joannes, quam plurimorum de dominis temporalibus, & iudicibus sæcularibus gravem querimoniam se recepisse, quod nonnulli dictarum Curiarum ecclesiasticarum Promotores, ac etiam Procuratores, ad excessus citantes eorum homines subditos, & Burgenses, varia, & diversa crimina, & excessus coloribus factis exquisitos eisdem imponentes, non solum in corporibus propriis, & scandalo gravi eorundem, damnificant; & fatigant sed etiam gravissimis sumptibus, & expensis.

48 Quid tristius verbis Nicolai de Clemingis (b) *Dici non potest, inquit, quanta mala faciant illi scelerati exploratores criminum, quos Promotores appellant. Simples, & pauperculos agrestes, vitam satis innocuam in suis tuguriis agentes, & fraudis urbana nescias, in jus saepe pro nihilo vocant. Causas, & crimina contra eos sedulo confingunt, vexant, terrent, minitantur; sicque eos per talia secum componere, & pacisci cogunt. Quod si facere renuant, crebris eos citationibus, quotidieque impetunt, & supra modum infestant. — Quo vel sic longo radio, longaque sui temporis jactura fatigati, superfuturam vexationem, atque impensam pecunie pacitione redimere cogantur &c.*

49 Monet S. Carolus Promotorem Fisci (c), ejusque socios, & substitutos, ut meminerint, se esse Procuratores veritatis, & non debere sub ejus clypeo innocentes opprimere, vel alias esse in causa, ut quis calumniis fatigeretur.

* 50 In morali doctrina quid execrabilius Ministrorum præsertim ecclesiasticorum scandalis. En sententiam Malachie (d)! *Et nunc ad vos mandatum hoc — Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contempribiles, & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Ait Dominus in Evangelio (e): Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Juxta

(a) Conc. Noviom. cap. 16. (b) De Cleming. de corrupt. Eccl. stat. c. 15. (c) Act. Eccl. Mediol. p. 4. de Offic. Promot. (d) Malach. c. 2. (e) Matt. c. 18.

ta S. Chrysostomum (a): *Nullum ab aliis majus præjudicium tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Ex sententia S. Gregorii (b): Scire Prælati debent, quia, si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot subditos suos ad perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto cautius se à culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli moriantur, sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. S. Isidori hæ sunt rationes (c): Capite languente, cætera corporis membra inficiuntur. Unde scriptum est: omne caput languidum, à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Caput enim languidum est doctor agens peccatum, cujus malum ad corpus pervenit, dum eo vel peccante, vel prave docente, pestifer languor ad plebem subditam transit. Quid brevius verbis S. Bernardi (d): Qui exemplo suo ad remissus agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua, & murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat Spiritum Dei, qui est in eis, scandalizans unum de minimis credentibus in eum; nonne & hic manifeste prosequitur Christum — Horrendum penitus sacrilegium.*

T I T. VIII.

De Instructione Causarum Civilium.

C A P U T I.

De Processu Civili.

Intervenerunt olim Episcopi in decidendis causis etiam laicorum non tanquam publici Judices, sed potius ut arbitri seu verius amicabile arbitratore, in hoc unum intenti, ut quæstiones inter fideles exortas sine strepitu amicabile arbitramento componerent. Et hæc fuit præcipua ratio, cur Principes optaverint, ut litigantes potius ad Episcopos, quam ad Judices publicos suas quæstiones deferrent. Ob eandem quoque rationem Clerici, Monachi sunt exempti à foro sæculari, ut sic à litibus, & jurgiis forensibus eximerentur, eorumque quæstiones sine strepitu judiciali, & citra formam judicialem deciderentur.

Un-

(a) S. Chrys. hom. 17. in Evang. (b) S. Greg. Pastor. p. 3. Admon. 5.
(c) S. Isid. lib. 3. sent. c. 38. (d) S. Bern. serm. 1. in convers. S. Paul.

2 Unde primis sæculis, quum judicia ecclesiastica in causis sæcularibus (a), seu civilibus essent instar arbitrarium, & in spiritualibus charitatem sequerentur, procul habuere formulas tribunalium sæcularium, seu forensium, regulis scripturæ sacræ, & Canonibus veterum Conciliorum, qui pacem, & concordiam dissidentium spectabant, unice intenta. Quæ judiciorum ecclesiasticorum, & sæcularium, utpote publicorum tribunalium differentia ex collatione Carthaginensi elucescit.

3 Sed quingentis, & amplius abhinc annis formularum ambages, veluti agmine facto, irruerunt in tribunalia sacra, quibus studium Juris Justiniani, quod Clerici neglecta sæpe veterum Canonum cura, tum avidius, quam laici excoluerant, fenestram aperuisse videtur. Hujus enim placita veterem modum agendi, solo usu conservatum, & in Curiiis sæcularibus everterunt, quum Judices ecclesiastici strictum jus, omnesque juris formas observare niterentur, quas Judices sæculares neglexerunt; quippe qui nobiles erant, ac milites nulla cultura literarum tincti, soli consuetudini, veluti patrio juri insistentes.

4 Judices sæculares postea Clericos, qui formulas callebant, elegere judiciorum Assessores, quibus jurisdictionem mandarunt. Qui hoc modo jus formularum in cuncta tribunalia, maxime in illa suprema, quæ *Parlamenta* vocantur, intulerunt; ita, ut totus ordo judiciorum, quo hodie & in foris sæcularibus utimur, novi juris interpretibus debeatur, ejusque origines sint è novis Decretalibus hauriendæ.

5 Novo jure hic ordo processus forensis exhibetur. Præcipit ann. 1216. Concilium Lateranense IV. *ut Judes tam in judicio ordinario quam extraordinario semper adhibeat, aut publicam, si habere potest, personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa judicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, & conclusiones &c.* Refert. c. 11. de Probat.

6 In ordine forensis processus primas tenet citatio, ut reo copia defensionis pateat. *Quia non est Romanis ex ipso jure naturæ consuetudo, damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentem habeat testes, locumque defendendi accipiat.*

7 Jure Romano, abrogato veteri more adversarium oborto prope collo in jus vocandi, statuit Justinianus, ut instans

Cap. 2.
De Citat.
Act. 35.

(a) Fleur. Inst. Eccl. p. 3. cap. 6.